



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 35. Fridericus secundus Ferdinandi Filius in Burgundiam profectus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. sunt. Burgundus compertis omnibus
 A.C. 1474. hisce Ludovici consiliis adversum se con-
 flatis, veneno Regem e medio tollere
 tentabat, ministro ad parricidium selecto
 quodam Juvene, qui Joannes Harditus
 dictus cujusdam mercatoris famulus
 erat; ast constans fides cujusdam regii
 coqui, nomine Collineti, facinus dete-
 xit; Captus igitur Harditus, ac sceleris
 veritatem tormentorum vi confessus, in
 quatuor partes dissectus est, postea cor-
 poris membra ad totidem urbes delata,
 ædesque hujus scelerati solo æquatae
 sunt. Ita Belleforestus: Mayerus ta-
 men hujus criminis suspicionem a Bur-
 gundo amoliri conatur.

Belleforest.

l. 5. c. 137.

Mayer Hist.
Fland. l. 17.

§. XXXV.

*Fridericus secundus Ferdinandi Filius
 in Burgundiam profectus.*

Papiens.
epist. 599.

Hoc anno Fridericus secundo genitus
 Ferdinandi Neapolis Regis Filius in-
 eunte mense Novembri Romam venit,
 inde in Burgundiam profecturus. Huic
 unicus duntaxat Cardinalis tit. S. Petri
 ad vincula Nepos Pontificis obviam pro-
 cessit, eumque ad Basilicam Vaticanam
 conduxit, comitantibus illum de more
 Prælati, & Cardinalium familiaribus.
 Fridericus in Senatum secretum admis-
 sus toto, quo cum Pontifice colloque-
 batur

batur, tempore in genua provolutus per-
 mansit. Inde surgens ad Cardinales sese
 convertit, ac singulos speciatim in eorum
 sedibus positos complexu, & osculo hono-
 rabat. Postera die eosdem domi invisit,
 idemque humanitatis officium ipse vicif-
 sim ab omnibus accepit, excepto solo
 Cardinale S. Sabinæ. Tandem Roma
 abiens, Burgundiæ Ducem accessit, ubi
 usque ad Mensen Junium anni millesimi
 quadringentesimi septuagesimi sexti di-
 versatus est. Quorundam Scriptorum
 conjectura est, Fridericum hoc iter susce-
 pisse eo animo, ut Burgundiæ Filiam
 sibi in uxorem deposceret, sed inane est
 eorum commentum.

§. XXXVI.

*Cardinalis Aquilejensis a sua septen-
 trionali Legatione redux.*

Tandem Cardinalis Aquilejensis a Pon-
 tifice Legatus in Septentrionales
 plagas missus, inde redux hoc anno mil-
 lesimo quadringentesimo septuagesimo
 quarto die decima quinta Novembris Ro-
 mam venit. Triginta menses Legatione
 sua functus, pluribus negotiis distentus
 erat, pacemque inter Hungariæ & Po-
 loniæ Reges reddere conabatur, idque
 non sine magnis laboribus perfecit. Na-
 vabat suam quoque operam in componen-
 dis